



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri
Benedicti**

Meyenschein, Benedikt

Hildesii, 1725

VD18 10311831

XV. Quibus temporibus Alleluja dicatur. Vox exultantis justâ de laude
Tonantis Congrua quando sonet, lex sacra rite monet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

18. FEBR. 19. JUN. 19. OCTOBR.

CAPUT XV.

Quibus temporibus Allelúja dicatur.

A Sancto Pascha usque ad Pentecosten
 sine intermissione dicatur Allelúja *a*,
 tam in Psalmis *b* quam in Responsoriiis.
 A Pentecoste autem usque ad caput *c*
 Quadragesimæ, omnibus noctibus cum
 sex posterioribus Psalmis tantum ad No-
 cturnos dicatur. Omni verò Dominicâ
 extra Quadragesimam Cantica *d*, Matu-
 tini *e*, Prima, Tertia, Sexta, Nonaque
 cum Allelúja dicantur, Vespera verò cum
 Antiphonâ; Responsorio verò nunquam
 dicantur cum Allelúja, nisi à Pascha
 usque ad Pentecosten.

a) Ex Ruperto est vox peregrina ad expri-
 mendum peregrinum gaudium, quod nos
 manet in cælesti Jerusalem. Ex Aug. &
 aliis est vox hebræa significans, Laudate
 Dominum, cum plenitudine tamen gau-
 dii & exultationis, ut ait S. Thomas.
 S. Germanus in Theoriâ sic exponit: Al,
 id est, Venit, el, id est, Deus, uja, id est,
 E 5 Laudate.

Laudate. Hæc vox Alleluja non transfertur in aliam linguam, tum propter sanctiorem authoritatem, ex S. Aug. & Isidoro; tum quia interjectio est jubilantis & exultantis de Dei laude, verbis aliis non satis explicabilis.

b) *Id est, in Psalmodiâ, vel ante Psalmos.*

c) *Seu initium. Hoc aliqui servantes ad litteram, retinent Alleluja usque ad Dominicam primam Quadragesimæ, sicut olim factum. Alii cum Turrecrem. per caput Quadragesimæ intelligunt Septuagesimam, eò quòd ibi more antiquorum sit initium jejunii. Cæterùm absque ullo scrupulo fieri possumus, quòd post introductum univèrsim in Ecclesiâ morem deponendi Alleluja in Septuagesimâ, nos eidem modo accommodemus, cum S. P. ipse c. 18. sub finem hoc ipsum in simili commoneat.*

d) *Tertii scilicet Nocturni.*

e) *Id est, Laudes, ut sæpe dictum.*

19. FEBR. 20. JUN. 20. OCTOBR.

CAPUT XVI.

Qualiter Divina opera a per diem agantur.

Ut